



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De virtutibus in commune. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

67

PARS SECVN- DA DE VIRTVTI- BVS.

De virtutibus in Commune

Cap. I.



E virtutum bonis acturi,
nullo ad earum laudem
aptiore principio, quàm
vulgata definitione vti
possumus, quę sic habet:
Virtus est habitus, quo
rectè viuitur, quo nullus malè vtitur.

S. Th. 1. 2. q. 55. art. 4.

2 Oportet quippè rem pulcherrimam,
& laude, ac amore dignissimã esse, quæ
vitę humanę supremum bonum, id est
rectitudinem præstat: & ad eò inuictè
tuetur, vt nullus possit abuti.

3 Præfagiuit hoc ille, qui dixit eam esse
virtutem, quę si ab hominibus perspici
posset, mirabilem sui excitaret amoré:
sed cum Christum ignoraret, sine quo
vera virtus existere nequit, facilè illo
effato demonstraui, quid de virtute
vera fuisset asserturus.

4 Tantus quippe decor, tàm cœlestis
splen-

Splendor Christianæ virtutis est, ut si cū eius forma totius antiquitatis virtutum miris encomijs à Philosophis celebrata, fidei tamen ignara, comparetur, supra naturæ metam, quam illi vix attigerunt, celsitudine quadam penè incredibile caput extollat.

5 Habet enim singulari Christi beneficio. quidquid honestum, vtile ac delectabile mundus eorum bonorum cupidissimus excogitare non potuit.

6 Quæ enim honestas æque sublimis ei, quam virtus parit quæ homines eius cultores honore sempiterno dignos efficit? quæ totius mundi gloriam, quam sordidam luti concretionem proculcat? quæ animū adeò generosum procreat, ut nihil ei nisi Deus satis esse possit?

7 Quæ verò utilitas adeò compendiosa, quam quæ bonorum æternorum lucro constat? quæ opulentiam sine vlllo decremento permanuram exquirat?

8 Quæ autem delectatio, cum sincerissimis veræ virtutis gaudijs, è viuo Iesu Christi fonte profluētibus, uti spes felicitatis coalescit, queat vlllo pacto comparari?

poni?

9 Hæc omnia profectò comulatius, quàm scribi, aut dici possit, virtus Christiana producit, quasi fructus stirpi cõ-generes, nõ homini tatum., qui virtutẽ colit, sed ipsi quoq; Deo suauissimos.

10 Pulchritudo quippè virtutis tam exacta est, vt subtilissimam illam mentem alliciat, quam certe amore captam Scriptura Sacra, non obscure demonstrat: vt enim cætera fileamus, totum fere Salomonis Canticum, per multiplices imagines, quas homines corporeis assueti simulachris intelligerent, quædã diuersarum virtutum absolutam vnã formam componentium expressio est.

11 Iam verò, quàm amanter Clemētissimus Deus illius imaginibus se oblectari profitetur? Profectò ad virtutũ decorem commendandum nihil maius inuenire potest.

12 Quapropter æquũ erit fratres quõ-quẽ nostros, ea qua Deus se capi fatetur, pulchritudine mulceri: & illam omnium bonorũ affluentiam, quæ virtutis ipsius fructus est, impensius affectare.

13 Rectè ad rem hæc illud Baruch licet
vsur-

vsurpare: Disce Israel, Vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vbi scias simul vbi sit longiturnitas vitæ, & virtus, vbi lumen oculorum, & pax (& infra.) O Israel quã magna est domus Domini, & ingēs loc⁹ possessionis eius.

14 Magna certè domus, & locupletissima possessio est, ad quã nostri fratres adoptati extremæ dementiæ arguendi essent: si pro ea bonorum immensitate ad virtutes perquirendas, non fortiter decertarent: quæ enim fœlicitatis pars hoc in exilio illis accidere potest, qui ad æterna bona intentissimè non aspirant.

25 Sed ijs qui ad opus tantũ accinguntur, nonnulla communia de virtutibus asserta tradenda sunt.

16 Et primũ neminẽ latere decet, easdẽ esse Incipientiũ, Proficientiũ, Perfectorumq; virtutes, si species illarũ cõtemplamur, licet in tribus ijs Ecclesiæ militantis agminibus, in earundem virtutũ progressionibus sint multa discrimina.

17 Incipientes quippè (quales conamur instruere) si maximo illi diuinæ legis præcepto (Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo) minimè pareant, a primo

primo agmine protinus expelluntur: si
pareant, eam sanè virtutem, id est, cha-
ritatem, in qua secundi agminis profe-
ctus, & tertij perfectio consistit, exercēt:
quod & de ceteris virtutibus charitatē
diuinam comitantibus, eiusdem ratio-
nis efficacitate asserendum est.

18 Verum intra charitatem ipsam, quæ
longissimè procurrit, ac proinde intra
reli quarum spatia virtutum, Proficiē-
tes longè, Perfectos longius ab incipiē-
tibus distare, omnino compertum est.

19 Hinc efficitur, vt lōge deuersos vir-
tutis colendæ modos inire debeant: In-
cipientes enim virtuti nauant operam,
vt vicia, & passiones elidant: proficien-
tes, vt virtutū splendoribus illuminētur:
Perfecti, vt Deo iugiter adhæreant.

20 Ex hoc fratres nostri perspicere pos-
sūt, quò suos conat^o intēdere debeāt:
habēt enim hostes infestissimos, ad quo-
rū acres cōflictus virtut. b^o armādi sūt.

21 Et si enim Clemētissimus Deus novos
cultores suos indulgēter habere, vir-
tutis arduitatē lenire, ac infestationes
inimicorum prohibere soleat, nè
ab hostibus territi resilianti: verum est
tamen

tamen, hostes adesse, sed reprimi quo-
ad ratione cognoscent.

22 Ante dies paucos tentationes ingru-
ebant: indomitæ passiones æstuabant
nunc verò virtutum opera expedite, ac
suauiter obeunt: nec tamen egregia o-
pera præstiterunt: aut cum sensibus
proprijs fortiter congressi sunt: sed in-
stillatam deuotionem repente senserunt;
quæ omnem difficultatem con-
diuit.

23 Animaduertât ergò, qui adhuc im-
belles sunt, externos hostes coerce-
ri, internos verò, non esse mortuos, sed
sopitos: ac ita sublata deuotione, qua
somnia induxit, ferociter pugnato-
ros: propterea quæ non segnius de vir-
tutibus parandis agant, quàm si acriter
oppugnarentur.

24 Sed cum virtutes plurimæ sint, ne
omnium tractatio sit ad rem nostram
necessaria, illas dūtaxat seligemus, quæ
statum nostrum præsertim deceant,
ad instituti nostri finem expensa tēpo-
rum, ac locorum ratione conducant.

25 Quamuis enim virtus quælibet, ge-
nere suo excelsa, & cuiquæ honesta, ve-
lis

lis ac delectabilis sit, & ad euentum omnem conferre possit: hominum tamen captus, tot capitum numeris, impar, ad virtutes acquirendas, multitudine non iuuatur, sed obruitur.

26 Hoc sanè virtus quæq; apud idoneos rei tantæ pōderatores efficere debet: vt sui excitet desiderium: Dei quippe semen est; quo nihil amabilius. Sed quo ad numerum, modumq; virtutum, quibus potissimum quisq; pro captu captu suo studere debet, certa ratio iuenda est, de qua in tractatus calce dicemus.

27 At verò, vt virtutum doctrinam, quæ sapientiæ nostræ pars maxima est, perspicuè tradere possimus: primū de Theologicis, mox de moralibus accommodatè ad claustrum disciplinam & ad peculiarem instituti nostri rationem agemus.

28 Tria verò præcipuè in cuiusq; virtutis expositione præstare conabimur. Virtutis scilicet descriptionem cum adhortatione ad ipsam colendam: contrarij vitij, vel passionis expugnatione: actum, quib^o acquiritur, vel augetur, præ-

D

scrip-

scriptionem: sed sub auctoris virtutum Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ tutelâ, earum virtutum, quas delegimus, doctrinam aggrediamur.

De Fide Cap. II.

Fidem primo loco ponendam, ex ipsa patet definitione, quam tradit Apostolus aiens: Fides est sperandarum substantia rerum, argumētum non apparentium: quasi diceret, fidem esse basim ædificij illius, quod extruitur in cœlis, & cui⁹ possessio speratur exteris. hâc enim vim habent illa verba, sperandarum substantia rerū: & quia, quæ non videtur, non adeò animos urgere, nedū cōvincere solēt, subdit, esse argumētū, hoc est persuasionē non apparentium: quo subnotat diuinā auctoritatē, quæ firmiter non visa persuadet, quam quæ naturali lumine apertè cernuntur.

2 Statui autē Obedientiæ, quàm sit necessaria, non illa tantum fidei mensura quam cæteri Christiani adepti sunt, sed maior alia, multoq; procerior, ex illorum sãctorū Patrum asserto perspicitur. Obedientia est opus fidei.

3 Obsc.